

S.S. 1888

Ob-12

1888 S.



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

P E R A E S T A T E M

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXVIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEPDUNT DUO DOCUMENTA CARDINALEM GASPAREM CONTARENUM LAUDIBUS
PRAEDICANTIA, QUAE NUNC PRIMUM EDIDIT DR. FRANC. DITTRICH.

BRUNSBERGAE, 1888.



TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. HUGO WEISS,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943:202

LYCEI REGII HOSIANI BBUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS CIVIBUS SUIS

S.

Cum persuasum habeam, Commititones, ea omnia, quae ad homines magnos ac de re christiana optime meritos aliquo modo pertinent, vos studio et amore complecti, legenda vobis praebeo duo documenta adhuc inedita Cardinalis Contarenii, cuius vitam nuper scripsi,¹⁾ mores ac doctrinam summis laudibus celebrantia, quorum alterum auctorem habet adolescentem Venetum viginti circiter annos natum, alterum haud ignoti nominis poetam Italicum saeculi XVI.

In suo de officio episcopi libro Contarenus Petrum quendam Barocium, episcopum Patavinum, commemorat atque ut veri pastoris exemplar commendat. „Vidi ego,“ inquit, „Petrum Barocium, episcopum Patavinum, virum, qui nunquam satis pro meritis laudari queat,“ et alibi eundem insignem vocat episcopum.²⁾ Cujus nepos, sc. fratri filius, fuit Michael Barocius. Pauca tantum de eo ex auctoribus saeculi XVI. comperimus. Natus ille quidem est teste Tasca³⁾ Venetiis anno circiter 1518 e gente nobili Barociorum, cui etiam Venetiarum patriarcha Joannes Barocius annumerandus est; floruit eloquentiae fama ac doctrina clarus ab a. circiter 1535 usque ad a. 1559. Scripsit vitam Petri Barocci episcopi in lingua vulgari; orationem de fructibus philosophiae, quam per Cosmum Gherium, episcopum Fanensem (1528—1537), ad Petrum Bembum tunc Patavii commorantem misit⁴⁾; orationem in funere Petri Landi, celeberrimi Venetiarum ducis, habitam, ut mos erat, in ecclesia S. Joannis et Pauli; annotationes quasdam sive commentarios in Aristotelis ethicam, quibus tamen praematura morte abreptus extremam manum adhibere non potuit; epigrammata et satiras in lingua vulgari.⁵⁾ Orationem vero hanc nostram nusquam commemoratam esse invenimus, neque apud Ludovicum Beccatellum, qui italice, neque apud Joannem Casam, qui latine Gasparis Contarenii vitam scripsit, neque apud Angelum Mariam Quirinum, celeberrimum bibliothecae Vaticanae praepositum, episcopum Brixensem et Cardinalem, qui apum haud absimili diligentia omnia, quae ad Contarenum pertinent, investigavit,

1) Gasparo Contarini. Eine Monographie. Braunsberg, 1885.

2) Gasparis Contarenii Cardinalis opera (Parisiis 1571) p. 418, 421.

3) Cfr. Alberi, delle famiglie Venetiane I, 242 mscr.

4) Respondit Bembus III. Id. Mart. 1535. Cfr. Petri Bembi epistolarum familiarium libri sex (Coloniae 1582) p. 276.

5) Cfr. Pietro Zeno, scrittori Veneziani p. 62.

collegit ac magnam partem in lucem protulit,¹⁾ neque postremo apud Em. Antonium Cicognam, rerum Venetarum indefessum ac felicissimum investigatorem,²⁾ neque apud Zenum, qui cetera Barocii opuscula enumerat. Invenit eam tandem de Valentina, ecclesiae S. Rochi Venetiarum rector, inter libros et chartas presbyteri Thomae de Luca, scriptam saeculi XVI. notis atque, si ex lituris et emendationibus ipsius scriptoris manu factis, cuius item nomen in fine subscriptum est, conclusionem facere licet, auctoris autographum, transscripsit, prooemio ornavit, notis illustravit itaque instruxit, ut in officina Caroli Palesii Venetiis a. 1796 publici juris ficeret. Quod tamen, nescitur qua de causa, factum non est.

Ego cum hieme anni 1879 Venetiis versarer, ut quae ad vitam Gasparis Contareni scribendam aliquid conferre possent, investigarem ac colligerem, inter alia multa ad rem meam facientia etiam hunc rectoris S. Rochi libellum prelo praeparatum detexi, qui nunc, omissis notis et prooemio, unde tamen quae de auctore fatisque orationis attuli magnam partem excerpti, in lucem prodeat.

Exarata est, ut patet, Barocii oratio quo tempore publicae Roma allatae sunt literae, in quibus res omnibus nova, omnibus inopinata scripta erat, Contarenum a Paulo pontifice maximo in cardinalium collegium cooptatum esse, universaque civitas laeta atque alacris civem suum celeberrimum honoribus prosequi delectabatur.³⁾ Credere licet, Contarenum, qui Barocium episcopum tanti aestimabat, etiam nepotem dilexisse atque, ut erat bonorum omnium patronus, singularem adolescentis indolem, ubi cognovit, fovisse atque aluisse, ita ut haecce Michaelis Barocii oratio non solum laeti, sed etiam grati animi documentum atque interpres fuisse censenda sit. Quicunque hoc adolescentis Veneti doctrinae et eloquentiae specimen perlegerit, facile tecum judicabit, non esse illud magni momenti ad illustrandam Contareni vitam atque doctrinam, quippe quod panegyrici potius sermonis quam narrationis historicae speciem prae se ferat. Cum tamen et verborum elegantia et sermonis urbanitate atque eloquentia commendetur cumque primum fere documentum publicum sit, quo Contareni, quem Itali „unicum“ appellantur, merita gestaque laudibus celebrantur, cumque tandem, quod maximum est, communem omnium de Contareni doctrina, prudentia, pietate consensum confirmare videatur memoriaeque tradat: non potui non e tenebris eruere et in lucem proferre illam orationem atque hoc modo renovare memoriam tanti viri, quem jam tum propter morum integratatem ac suavitatem, propter eximiam omnis generis doctrinam et rerum peritiam uno ore omnes praedicabant, quemque Paulus III. summus pontifex nihil desiderantem vel opinantem cum totius Italiae applausu in sacrum cardinalium collegium recepit, quo honore nemo tunc fuit dignior.

Alterum documentum acceptum refero admodum reverendo Domino Francisco Pelegrino, professori historiae in Lyceo Regio Bellunensi Museique civici directori, qui una cum septem epistolis Contareni autographis Roma missis ad Capitulum Bellunensis ecclesiae cathedralis⁴⁾ hoc carmen in codice quodam manuscripto, nunc in bibliotheca Lolliana apud seminarium episcopale asservato detexit mihi misit. Auctor est Franciscus Amaltheus ex familia non ignobili Opitergii oriundus, ex qua saeculo XVI. praeter Franciscum alii duo vel tres poetae prodierunt,⁵⁾ e quibus nomino Marcum Antonium et Nicolaum. Cecinit poeta panegyricum hoc poema quo die Gaspar Contarenus primo Belluni sacra mysteria celebravit, id quod factum esse videtur die 29. Julii anni 1538, ut patet ex Julii Dojoni gratulatione pro adventu Gasparis Contareni S. R. E. cardinalis et episcopi Bellunensis,

¹⁾ Epistolae Reginaldi Poli. Brixiae 1745 sq.

²⁾ Delle inscrizioni Veneziane II, 226—241.

³⁾ Cfr. Joan. Casa, Gasparis Contareni vita c. XIII.

⁴⁾ Cfr. quae scripsi in „Historisches Jahrbuch der Görres-Gesellschaft“ 1887, p. 277 sq.

⁵⁾ Cfr. Tiraboschi, storia della letteratura italiana, tom. VII, part. VI, p. 1886—1888.

habita in ecclesia cathedrali Belluni die XXIX. Julii, anno MDXXXVIII, quam alibi¹⁾ typis imprimendam curavimus. Jam si quaeris, qua tandem de causa carmen hoc foras edam, non aliam certe invenio, quam quod Contareni, cui me libenter fateor magnam habere venerationem omnesque rei christianaे studiosos quam maximam habere velim, laudes canit, et quod vobis, Commilitones, luce clarius ostendere potest, qualia fuerint carmina poetarum quorundam saeculi XVI., antiquitatis amatorum.

Michaelis Barocii P. V. de Gaspare Contareno S. R. E.
Cardinali renuntiata oratio.

Si mihi vel a diis immortalibus datum, vel ab ipsa natura rerum parente concessum esset, vel certe studio atque industria comparatum, ut quod impellente ineffabili quodam desiderio mente animoque concepi, id totum dicendo ita possem explicare, ut voluntati meae par esset oratio: haud equidem dubitarem, quin paria Gasparis Contareni laudibus essem verba facturus. Verum cum ingenium meum quam sit exiguum sentiam quamque tenuis dicendi facultas, video profecto me, quod summopere optaram, non posse assequi neque altius evolare, quam meae vires postulant; ac plane jam vereor, ne cum hujus clarissimi viri innumerabiles extollendas virtutes ingrediar, tandem harum magnitudine victus oneri succumbam, quae quidem magnitudo vel maximi ejusque ingenii vires debilitare vel potius infringere posset. Neque tamen ob id mihi omnino desistendum censui; nam etsi verbis atque oratione mihi omnino satisfacere non possum, aliqua tamen ex parte animo satisfaciem. Cum vero sapientissimus vir, de quo hodie mihi dicendum est, non modo eorum hominum qui nunc sunt gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam facile superaverit, me non omnino damnandum judico, si omnes illius laudes pro earum dignitate non satis explicuero. Neque enim hunc locum ascendi, viri clarissimi, quod me omnes tanti viri virtutes non dicam oratione complecti, sed vel animo saltem concipere posse sperarem; verum ideo ascendi, mihi credite, ut potius animi mei affectum exhibeam, quam tantarum laudum testimonium offeram. Itaque nihil est, quod a me expectetis, ut quasi ex praescripto quodam, ut nonnulli solent, patriam, genus, educationem extollam. Commemoranda enim ad majora longe festinat oratio, hoc est ad commemorandos eos fructus, qui vere animi fructus sunt, quibus quis unquam parem orationem posset invenire? Possem equidem, possem, viri clarissimi, de hujus illustri ac nobilissima familia multa dicere, et illa quidem memoratu digna, atque ab ipsa condita urbe repetere, quot fortissimos ac sapientissimos viros protulerit, quorum humeris respublica nostra prope inniti videbatur. Possem ex eadem prope immumerabiles alios commemorare, qui hanc nostram rem publicam ita coluerunt, ut illius salutem non tantum privatis commodis, sed suae saluti anteponerent, ut ego quodam immortalium deorum beneficio ac munere datum existimem, ut quae familia una omnium patriae semper fuit amantissima, eadem quoque esset longe numerosissima, ac ne Roma trecentos illos suos Fabios quasi rem inauditam diutius jactare posset, nostra quoque civitas nec pauciores nec minus amantes patriae suos haberet Contarenos. Possem etiam afferre hunc, quod omnibus est notissimum, liberaliter fuisse educatum, sed nolo veluti ex quodam rivulo id propriae laudis flumen derivare. Iis ergo omissis ostendam vobis nullam illius vitae partem esse, quae non summa admiratione sit digna atque non eximiam quandam laudem mereatur.

Ac primum quidem, quoniam de senatore loquimur, senatoriae omnes virtutes ita summae in hoc fuerunt, ut in nullo unquam magis. Quis enim adeo patriam dilexit, quam hic unus omnium longe

¹⁾ Hist. Jahrb. p. 277—279.

sanctissimus, qui nullum unquam cogitandi de republica finem fecit, qui patriae salutem, qui dignitatem reipublicae, qui publica commoda suis semper anteposuit, qui summis reipublicae periculis commovebatur, turbulentissimis tempestatibus angebatur et paterno quodam dolore afficiebatur? Quid? quod haud pati unquam potuit diurna patriae suae incommoda, sed eo usque dies ac noctes laboravit, quo illam aut consilio aut opera liberasset. Quis vero unquam communis societatis amantior fuit? Quis unquam magis rebus iis, quibus reipublicae utilitas paratur augeturque, incubuit? Quis unquam ad rempublicam moderandam et usum et scientiam et studium suum magis contulit? Ego vero hic existimo in summo reipublicae rectore et consilii publici auctore tres has res inesse maxime oportere: scientiam regendae et moderandae reipublicae, virtutem, humanitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam fuit, qui cum summos atque altissimos civitatis nostrae gradus facile obtinuisse, sine ulla animi perturbatione semper judicabat, jus suum unicuique tribuebat, nulli nocebat, communi utilitati inserviebat ac reipublicae nostrae adjumento esse vehementissime contendebat? Et scientia quidem vel ex eo facile agnosci potest, quod gravissime ac doctissime de Veneta republica libros scripsit, qui quidem testes sunt et erunt sempiterni amoris ac pietatis erga patriam. Virtutem vero hominis vel illud satis potest ostendere, quod animo ita semper elato atque magno fuit, ut res omnes externas despiceret et, quod longe difficillimum est, laboribus susceptis non quasi mercedem rerum gestarum desideraret gloriam, sed suorum laborum satis magnum praemium arbitraretur esse ipsam per se honestatem, quam omnes et admirari et optare et expetere oportere censebat, nullique prorsus nec homini neque perturbationi animi neque fortunae succumbere. O admirabilem animi fortitudinem, qua ille nixus non metu debilitabatur, non cupiditate frangebatur, non voluptate vincebatur! Age vero, in omnibus magistratibus gerendis qua fuit prudentia? Qui ut plurimum temporis et diligentiae in eas res considerandas adhibuerit, quae magnae utilitati hominum futurae essent, ita vel nullum vel certe exiguum studium atque operam in res obscuras atque difficiles easdemque non necessarias impedit. Quanta deinde omnibus in rebus temperantia? Quanta modestia? Quanta verecundia? Ex quibus quasi quidam ornatus vitae omnisque sedatio perturbationum animi plane elucebat. Tanta jam fide est, tanta legum observantia, tanta aequitate ac bonitate, ut difficile invenias, quem illi compares. Quid? Illa, quam ultimo loco posueram, humanitas, qua mihi nescio quo pacto omnes virtutes ornari ac longe pulchriores atque amabiliores fieri semper visae sunt, nonne in illo ita summa fuit, ut in nullo usquam magis, qui cum et virtute et dignitate jampridem omnes superasset, nemini tamen se unquam anteposuit atque iis, cum quibus fuit, ita sese dedidit, ita honestis omnium studiis est obsecutus, ita semper comis atque humanus, ut omnibus esset carissimus? Quem ille ex tota civitate nostra non dilexit? Quem ex omnibus nostri imperii non est amplexus? Itaque difficile dictu est, utrumne Hispani, quos hic jussu vestro adiit, egregias illius ac prope innumerabiles virtutes magis admirati sint, an eximia ista humanitate ac mansuetudine victi hominem ultro coluerint atque observarint. Carolus certe ille summus imperator post hominum memoriam longe augustissimus, quem Deus Optimus Maximus ideo dedisse terris videtur, ut rempublicam christianam aliquando constitueret, hujus virtutem et ingenium ita est admiratus, ut neminem arctius amplecteretur et quam saepissime consilium ab hoc petere magno sibi adjumento fore existimaret, quanquam hic, ut facile egregium quandam modestissimi animi cultum atque ornatum possis agnoscerre, tanto imperatori consilium deesse non posse affirmaret; ac si quando summis sanctissimi illius viri precibus adductus aliquid dixerat, sanctissimum quoddam oraculum atque omnibus longe jucundissimum videbatur afferre. Quamobrem et referto foro et repletis deorum immortalium omnibus templis nihil magis quam Contarenii nomen passim circumferebatur, neque jam ullus facile inveniri usquam potuit tam agresti ac duro animo, qui summo hunc honore afficiendum non putaret. Neque vero hunc summi isti honores, quibus etiam fortissimi animi interdum vincuntur, ab iis negotiis, quae patriae jussu adire oportebat, ne minimum quidem avocarunt. Di

immortales! Quam sancte, quam ex fide mandata vestra curare atque implere, quanto studio assiduos pro republica labores subire gaudebat, quam crebras, quam plenas prudentiae de rebus ad rempublicam pertinentibus ad vos litteras misit, ut facile ex eo incredibilem quendam erga patriam amorem unusquisque agnosceret? Quis exquisita atque inventa majore vel prudentia vel felicitate ad optatos exitus perduxit? Sed enim in Hispaniensi ista legatione qui omnes alias virtute et diligentia solitus erat vincere, scipsum quoque superavit. Cum enim eo tempore missus esset, quo propter hostium vestrorum obtrectationes in invidiam atque odium adducti eratis apud optimum imperatorem, tantum ille sapienti consilio, tantum gravissima illa sua eloquentia, tantum animi magnitudine valuit, ut non modo vobis inique objecta diluerit, sed animum fortissimi viri ita flexerit, ut qui hostis erat et ab inimicis vestrī tum maxime adversus vos incitatus, prope victoria arma deponeret, ut amicitiam et foedus vobiscum inire desideraret. Credo ego, T. Clodii, L. Roscii, Sp. Mutii, C. Fulcinii, C. Octavii, P. Sulpitii erga patriam amorem summum illum quidem fuisse, qui in legationibus P. R. mortem obiisse commemorantur; at vero si quis recte considerat eximiam Contareni fortitudinem, non minore admiratione dignam judicabit. Cum enim ad obeundam legationem longe periculosissimam mitteretur, eo animo profectus est, ut si usus venisset, pro patria non timidus moreretur. Itaque illum non vis tempestatum, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non hostium ac latronum insidiae retardarunt, non denique quod ad eum, quocum bellum gerebatis, mittebatur. Quid? Cum non ita multo post ad Clementem summum pontificem legatus est, nonne ex omnibus partibus sese illius virtus ostendit? Cum enim fere ita natura comparatum sit, ut quos terror mortis non debilitat, eos quam saepissime aut ambitio frangat aut avaritia dedecoret, hic unus ut in Hispaniensi legatione teneri non potuerit, ita ne in Romana quidem ulla aut honorum aut opum spe ostentata capi potuit. Audite enim, audite praeclararum fortissimi viri vocem! Cum saepe ex sermone multorum accepisset, Clementem quam vehementissime desiderare quae mandatis contraria essent, admirantibus omnibus dicere solebat: cum sibi respublica nostra legati personam imposuisset, nihil ab eo omnino expectari oportere, nisi quae a bono cive patriaeque amantissimo expectanda sunt. Affirmabat ille se natum, ut patriae in perpetuum inserviret, nihilque omnino dies ac noctes se cogitare, nisi ut de patria bene mereretur, itaque animum suum non pecuniis, non honore, non beneficiis, quibus etiam fortissimi viri moventur, a recto posse deflecti. O vocem magni indicem animi, qui patriae caritatem omnibus rebus anteponeret, caetera omnia putaret contemnenda! Eximiam hanc animi fortitudinem summopere Clemens admiratus est. Itaque in celebri illo Bononiensi conventu, cum et summus pontifex, quem ille sequebatur, et Carolus imperator et totius Europae principes et legationes illuc se contulissent, nihil vel pontifici vel imperatori uno Gaspare gratius, nihil apud omnes venerabilius. Quid multa? Unus ex tot hominum millibus ab invicto illo et sanctissimo imperatore, unus Gaspar delectus est, qui optimae mentis cogitata exequeretur, ut praeclarissimum atque omnium votis jam multis annis exoptatum facinus aliquando impleret. Nam ut circumspiciamus omnia, quae populo grata atque jucunda sunt, nihil tam populare quam pacem, quam concordiam, quam ocii tranquillitatem reperiemus. Cum enim nihil tam atrox, nihil tam immane, nihil tam homine indignum reperiamus quam bellum, nec quisquam tam agresti ac duro animo sit, qui eum gentes sollicitas suspicione, suspensas metu, perturbatas injuriis videat, non commoveatur, nec quicquam ex omnibus tam impium quam urbes, quibus hominum societas paratur, evertere et innocentem multitudinem, quam conservare et in omni fortuna recta atque honesta retinere debemus, trucidare ac civium sanguinem immaniter exsorbere, fana diripere, et deorum immortalium religionem, quam vereri debemus, contemnere, quae omnia bellum afferre consuevit, quis audeat dicere, quicquam aut tam expetendum aut tam populare quam pacem, qua non modo ea, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi laetari videntur? Quid tam amabile quam libertas, quam non solum ab hominibus,

verum etiam a bestiis expeti atque omnibus rebus anteponi videtis? Quid tam optatum quam ocium, quod ita jucundum est, ut et vos et majores vestri et fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in ocio possit esse, praesertim in tanto civitatis nostrae imperio ac dignitate? Jam vero si quis recte consideret, non alia via ac ratione ea quae ad tuendam vitam hominum pertinent comparari potuisse quam pace reperiet. Neque vero illa nunc haberemus, nisi homines pace atque ocio confirmatos publicarum et privatarum rerum tuta administratione nti liceret. Neque enim navigatio, quae eas res quibus abundamus exportat, quibus egemus invehit, ulla esse posset, nisi pace frueremur; neque agricultura, qua hominum victus comparatur, exerceri ullo modo posset, nisi pax, rerum omnium optabilium parens atque educatrix, agricolas domi contineret, qui agris imperarent et ab iis fructus exigerent; eademque ratione nec lapides exciderentur e terra ad usum nostrum necessarii, neque ferrum, neque aes, neque argentum, neque aurum ipsum effoderetur. Quid tam multae artes, quibus exulta est hominum vita, nobis ministrarentur, nisi ocii tranquillitas homines ad eas excogitandas prope impulisset? Quid est, quod hujus rei testes aliunde requiras? Civitas nostra quo tandem modo aut imperium augere aut ab hominibus frequentari potuisset, nisi pacem cum libertate amasset semperque amplexa esset? Ad hanc igitur pacem inter vos et Carolum conciliandum ita electus est Gaspar, ut qui antea fuerat hortator et suasor, tempore jam maturo et reipublicae christianaे periculis vel maxime exigentibus fieret etiam interpres, sequester et auctor. Cujus tam praeclarae rei quanta fuerit expectatio, quanta laetitia secuta sit, non est, quod vobiscum pluribus agam. Testis est Roma illa Martia, quam antea prope desolatum maerorem deposuisse nunc demum videmus. Testis est cisalpina Gallia, quam tuncque cinctam periculis liberavit. Testis est jam nostra respublica, quam hujus virtute et consilio liberatam esse omnes confitentur. Testis est denique Italia universa, quae post tot ac tantas suorum clades nunc tandem coepit respirare. Neque vero gentes ac nationes in Europa ullae sunt, quibus ea pax non et optata fuerit et jucunda. Testis sit mihi Germania, quae crebris delectibus, dum in Italiam vocatur, exhausta, jam conquiescit nec extra solum patrium trahitur. Testis est etiam Hispania, quae exteris gentes exquirit, in quibus laudabilius virtutem suam ostentet, nec in Italia frustra atteritur, sed Africae atque Asiae magnis ac tanto imperatore dignis ausibus imminet; Gallia quoque et Britannia suis se finibus continent, suis studiis contentae longe tutius vivunt. Cum igitur ob tot tantaque non modo in patriam, sed in omnem rempublicam christianam merita nulla pars sit Europae, quae non aliquid Gaspari debere se fateatur, neminem certe admirari oportet, Clementem de insigni isto honore Gaspari deferendo cogitasse, ac si paulo diutius vixisset, id illo vivente futurum fuisse, quod nunc multo auspiciatus Paulo imperante factum est, ut jam homines plane videant deorum immortalium consilio ideo honorem in hoc tempus esse dilatum, ut vir omnium longe integerrimus ac nobilissimus summo illi ac sanctissimo pontifici esset adjutor, et qui cum civibus suis Venetam rempublicam hactenus administrasset, jam etiam una cum Paulo non minore solertia christianam universam administraret. Neque vero hominum de se opinionem fallet, nam primum quod ad deorum immortalium religionem et cultum attinet, quis illius pietati orationem parem inveniet, qui tota vita continentissimus ad supremum modestiae temperamentum pervenit? Sed si tantummodo partem eorum, quae mihi proposui, persequi vellem, longior essem, quam aures vestrae pati possent; si omnia explicare voluero, deficeret tempus. Hanc vitae frugalitatem alit pietas et religio et, quod nemo unquam satis admirari poterit, summa quadam eruditione ita ornata, ut ob illam jam homines merito hunc prope divinum quoddam nomen et observent et colant. Huic vero eruditioni alimenta praeclara illa vitae philosophia dux copiosissime suggerit, qua quidem virtutum ac scientiarum parente quid est per deos optabilis, quid praestantius, quid homini melius, quid homine dignius? Haec vel in praecipua causa fuit, ut ^{dii} immortales Contareno suo honorem hunc supremum detulerint et perpetuam in coelo sedem pararint; ac ut vobis omnem

sensum animi mei plane aperiam, quid mihi de tanti viri virtutibus cogitanti eveniat, dicere non verebor. Soleo ego saepe mecum, quod et vestrum cuilibet saepenumero evenire arbitror, ea quae de veteribus memoriae mandata sunt, animo repetere, et cum magnos illorum temporum viros ante oculos mihi proposui. praeclaros quidem multos, multos omni laude dignos invenio, sed unus est M. Cato, quem admirer, ac fuit, cum multa, quae de eo dicerentur, facta esse arbitrarer, neque tot ac tam diversorum generum virtutes atque scientias cadere in unum hominem potuisse censerem; hanc mihi Contarenus incredulitatem ademit. Cum enim utriusque virtutes recte considero, Catonem video longo intervallo fuisse superatum. Ille ea philosophia usus est, quae non modo non vera, sed ne probabilis quidem populo unquam videri potuit, hic ea, quae maxime ad naturam hominis accedit atque omnibus probabilem se exhibit; ille unica illa et horrida quidem sapientia, hic omni fere scientiarum genere excultus; ille atrox ac severus, hic mitis semper ac placidus ita honestissimam quamque in senatu sententiam semper dixit, ut etiam qui diversa senserant hominis prudentiam ultro extollerent; apud populum vero tantum vel vitae integritate vel auctoritate valuit, ut ejus sententiae oracula quaedam omnibus viderentur.

Taceo, quod Catoni populus Romanus et praeturam negavit et consulatum, Contareno Venetus ante aetatem plurimos honores contulit. Illud vero breviter et vere dixerim, ubi omnes qui vel fuerunt vel hodie sunt illi compararis, neminem posse inveniri, quem ille magis quam se ipsum imitari, quam sibi ipsi magis obtemperare debeat. Utinam res publica christiana hujuscemodi virorum fortium atque innocentium copiam haberet! Etenim quae res est, quae cuiusquam animum in hoc dubium facere possit, quod ipsa, quae erupto malo quodam iato gubernatore medio in cursu derelicta est ac plane adversis ventis agitatur, e maximis istis ac turbulentissimis tempestatibus aliquando servata portum jam aspiciat ac teneat? Quod quoniam vos quoque, optimi patres, cognoscitis, veniam a vobis peto, quod opinionem vestram fecelli, dum hunc sanctissimum virum laudare conatus sum, cuius magnitudinem ac multitudinem virtutum neminem unquam tanta eloquentia fuisse neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui eas non modo augere aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi aut mente concipere possit. Quod autem unum possum ac debo, Deum Optimum Maximum supplex oro atque obsecro, ut praeclarum istud urbis nostrae ornamentum sit, quam maxime fieri potest, diuturnum. Duxi.

Michael Barocius.

Ad maximum ac integerrimum virum Gasparem Contarenum,
Patritium Venetum, amplissimum Cardinalem, Francisci Amalthei
Panegyricus, quo die primo Belluni mysteria celebravit.

Laeta, sacerdotes, renoventur sacra per aras,
Urantur pia thura focis, quae supplice voto
Coelicolis passim meriti geminentur honores,
Quod sperata diu gressu venere soluto
Gaudia, quod vobis tandem successit in aedium
Expectatus honos. Sceptro subit infula tandem
Dignior et rerum potitur pulcherrima proles.

Ergo laetifero pariter patresque nurusque
Pectore venturum meliori condite gemma
Tempus et hinc rebus proprius sperate secundis.
Hoc duce vos, iuvenes innuptaque turba, puellae,
Purpureos ornate sinus et flore capillum
Cingite Oranteaque comas perfundite myrrha.
Instaurate choros, Phrygium feriatur in ictum

Terra mihi, Thamyraeque modos imitante choraule
 Fingite et Ogygi molles Amphionis odas.
 Ipse ego, dum festo consumitis ocia luxu
 Curarumque fugatis opus tristesque labores,
 Occino vocalique sacram chelyn ambio plectro.
 Coelicolas passim celebrabitis ordine cuncti,
 Sed primum quodcumque mihi referatis ad aures,
 Quid velit hic populus, celebris concursus ad aedes?
 Unde novae affectant superum tot limina pompa?
 Cui festiva paras age tanto gaudia luxu,
 Gens proba? Cerno equidem solito felicius aedem,
 Pontificale caput, rutilis altaribus atros
 Instaurare focos, ubi thuris dives acerra
 Obducit nitidam picea caligine lucem.
 Cui tantum moliris opus? Quae pariete pendent
 Stragula? Num pictos spolias aulaea Britannos
 Attalicumque penu? Quid mille sub abside frondes,
 Aoniae laurus et pendula buxus opacat
 Dite solum passimque umbris variantibus implet?
 Sunt Phrygiae vestes, sunt quae Sidonia mittit
 Indumenta Tyrus; en quanto pegmate crescunt
 Strata viae, puerique canunt castaeque puellae
 Candida per calathos plena data lilia dextra
 Confundunt violis et odori germe (?) Paesti?
 At tuba laetifico pertentat pectora motu
 Patrumque plebisque, simul procul aere citato
 Perque imas valles perque alta cacumina montis
 Concava campano responsant saxa boatu.
 Fallor, an haec lux est tibi, quae, faustissime praeses
 Contarene, tibi iucundior apparat istam
 Laetitiam passimque tuo confundit honori
 Gaudia, quod nivea praecinctus veste sacerdos
 Primitias et sacra Deo pulcherrimus offers?
 Sic est, sic certe est, en quo reverentia vultu
 Divinis operosa sacris procedit ad aras,
 Christe, tuas, quam castis fulgens aurea vittis
 Infula, qua dextra, qua suppliceque prece magnos
 Allicit ad cultus atque ad solemnia divos.
 Pergite, mortales, sanctoque inducite templo
 Quicquid dives Arabs, quicquid legit Indus odorum,
 Quis sacris honor esse potest tam grandibus aequus?
 Quamvis flaventes veheret Pactolus arenas,
 Et Tagus auratis plenam mihi funderet urnam
 Cornibus, astarent depexo divite Seres
 Vellere, Puniceas si mitteret Africa lanas,
 Totaque Erythraeas conchilia lecta per algas
 India fusca daret, quid par tamen esse putandum est
 Huiuscce auspiciis aut tanto numine dignum?

Nam neque candenti magnus nunc corpore taurus
 Clitumni relutus aquis, nec victima sacris
 Apta Tarentini detondens prata Galesi
 Cinyphiumve pecus, sed quem Deus edit ab alta
 Mente Deum similemque sibi cadit hostia Christus.
 Ergo sollicitae si quemquam crima vitae
 Incessant, procul esto sacris, nisi forte piandus
 Huc properat, commissa dolens, nam casta vocamus
 Pectora, quae scelerum, nec digni poenitet ausi,
 Pectus Amyclaeos longe sibi linquit olores:
 Ergo ite, insontes, et iam propiore magistro
 Discite, quo deceat vultu, quo pectore Christum
 Allexisse sacris. Ego dum solemnia vates
 Sanctus agit, pulsabo chelyn laudesque canoris
 Et simul in sancto venerabor praeside sacrum.
 Nec Musas in plectra voco, nec templa movebo
 Cynthia, nec solitam compellam in carmina Cirrham,
 Iam tu Corycia, Paean, requiesce sub umbra,
 Et procul Ogygiis recubet sub vallibus Evan
 Arcadianque colat Cyllenius ales amoenam,
 A nostris exclusa cohors altaribus una.
 Hinc mihi religio est, coelo delapsa sereno
 Virgo potens adsit, Dominam comitantur euntem
 Hinc divinus amor, metus hinc et semper adhaerens
 Cana fides, spesque occultarum candida rerum.
 Numina certa voco, per vos mihi semita coelo
 Panditur et plures veniunt in carmina vires.
 Nunc se foelices iacent orientis adusti,
 Indus et Aethiopes, quique almi flumina Nili
 Laeta colunt, illis quod de sapiente tyrannus
 Rite legebatur. Sapiens de rege sacerdos
 Et certi index Dei mox transtulit illinc
 Graeciam et Argeas passim diffundit in oras,
 Legifer hinc Moses, hinc et ter maximus Hermes,
 Hinc Anius rex idem hominum Phoebique sacerdos;
 Nec minus Oenotrias mos hic devenit in oras,
 Maximus e Phrygia deductus origine Caesar
 Pontificis functus vicibus Latiale subegit
 Imperium, mundique amplias moderatus habenas
 Celsior e terris fama concendit Olympum.
 Sed casset iam prisca fides laudesque vetustas
 Prodigia dissimulet, nihil hoc mihi praeside maius,
 Seu quaeratur honos seriesque et honora parentum
 Stemmati, seu virtus numeros digesta per omnes:
 Pontificis Pauli iussu, non sponte decentes
 Cardineos retines gradus, venerande sacerdos,
 Quid mirum, si vestra fides nexumque vicissim
 Pectus amicitiae superant exempla vetustae?

Ite per annales, videat vos postera proles
 Sorte parum absentes, multum probitate propinquos.
 Post tibi clavigero subcrescat purpura mitrae,
 Infula sarrano tua te superinduat ostro.
 O eat illa dies niveis pulcherrima pennis,
 Et vos concordi Parcarum numine fisi
 Currite (?) tale bonum, tandem subsellia Petri:
 Tum tua gesta canam meliori concitus oestro,

Sic bona libertas animi reddit. Entheus inde
 Spiritus immodico pulsat praecordia Phoebo
 Nil mortale sonans: hinc vatibus ire per axes
 Copia flammiferos infixaque sidera divis
 Visere et aeternos extendere nomen in annos
 Heroum hominumque simul, quod nulla potestas,
 Non robur, non sceptra tibi, non infula sceptro
 Clarior exhibeat nec vis penetrabilis auri.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O., h. t. decanus.

- I. Theologiae moralis partem specialem, quae est de virtute religionis et officiis ad vitam privatam pertinentibus, explicabit quinques per hebd. hora XI.
- II. Pauca de patrologia praefatus de vita et operibus patrum apostolicorum disseret hora def.
- III. Repetitiones et disputationes de selectis ethicis christiana capitibus instituet semel per hebd. hora XI.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

- I. Doctrinam de Dei existentia et essentia deque divinis attributis ac deinde s. Trinitate exponet quater vel quinques per hebd. hora X.
- II. Repetitiones dogmaticas examinandi et disputandi causa instituet semel per hebd. hora X.
- III. Linguae Hebraicae grammaticam docebit, addens interpretandi exercitationes, bis terve per hebd. hora VII. antemerid.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quater per hebd. hora IX.
- II. Jus canonicum tradere perget bis per hebd. hora IX.
- III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora def.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Introductionem in studium theologicum tradet bis per hebd. hora II.
 - II. Prophetas minores interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
 - III. Evangelium sec. Lucam explicabit ter per hebd. hora VIII.
-

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. decanus.

- I. Inscriptiones selectas cum ethnicas tum christianas leget cum commilitonibus exercitationesque latine disputandi instituet quinques hebdomade hora IX.
- II. Aeschyli Prometheus vinetum cum commilitonibus leget bis hebdomade horis def.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiae medii aevi partes praecipuas tradet ter per hebd. hora XI.
- II. Germanorum antiquitates. imprimis res mythologicas, enarrabit bis per hebd. hora XI.
- III. De historia poesis christiana apud Germanos cultae aut de critica historiae tractandae ratione disseret semel vel bis per hebd. hora XI.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

- I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disseret sexies hebdomade hora VIII.
- II. Geometriam analyticam docebit hor. def.

Dr. Jos. Krause, P. P. E.

- I. Introductionem in philosophiam offert bis per hebd. hora X.
 - II. Logicam et noēticam docebit ter per hebd. hora X.
 - III. Philosophiae inde a Kantio usque ad Hegelium historiam exponet semel per hebd. hora X.
-

Publica doctrinae subsidia.

- I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
- II. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent asservat **Prof. Dr. Killing**.
- III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt**.



03824